

nobilissimo, ut tradunt hystorie, francorum rege pipino (verius Duce, et Majore — Domus Regum Austrasie) exorta est matre quoque nobilissima atque prudentissima nomine Hytta, que quondam, ut fertur, dum impregnata esset, in romano itinere, quo sanctorum apostolorum limina uisitauerant, peregrinum quendam obuium habuit, qui presciens innata virginis miram sanctitatem reginam cum fletu salutauit, regem uero salutare contempsit. Qui statim a rege interrogatus, cur hoc fecisset, respondit: Nec te nec reginam, sed quam in utero habet, virginem Deo dicatam salutauit. Ipsa ergo sancta uirgo Gerdrudis in utero matris

deo est dicata. Nihil de hoc Bollandiani; reliquae uero Lectiones depromptae sunt e Vita, quam illi exhibent a C. 1. usque ad 3. ita tamen, ut a uerbis: Deo desideratum reddidit spiritum, desciscat Noster, et ita concludat: Omnes uero, qui aderant, suauissimi odoris fragrantiam (ita olim frequenter l pro r) senserunt, et corpus eius in ecclesia beati petri apostoli cum magna deuotione et digna reuerencia sepelierunt. Quaedam alia leuiora etiam per decursum variant.

III. fol. 376. p. 2. ut quandoque uertamus Seria ludo, adscripta est sequens de S. Martino Turon. Cantilena.

Pontificis eximij in sand Mertens ere
 Patronique largissimi den schol wir loben sere.
 In cuius festo prospere zw weine werdent moste,
 Et qui hoc nollet credere, der lasz dy wursen cboten
 Martinus christi famulus was gar ain milder herre
 Ditari qui wlt sedule, der volg nach seyner lere,
 Et transmittat hic stantibus die phennig aus der taschen
 Et donet scientibus den wein in grossen flaschen,
 Detque esurientibus dy gueten faysten praten
 Gallinas cum caponibus, wir nemens ungesoten,
 Vel pro honore dirigat dy gens vnd auch dy anten,
 Et qui non bene biberit, der sey in dem panne.

Accedit Literarum Hebraicarum latina, si Superis placet, Significatio.

DCCCXCII.

R. 3031 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 170. f. fat probe scriptus, rubricis distinctus hanc in

antiore theca Notam praefert: Iste liber est Domus porte beate Marie in axpach Ord. Carth. et hunc librum habemus a domino petro sacerdote et Donato nostro prope Danubium. Donatos intellige, qui, ut loquuntur Statuta Carthuf. a. 1368. Ordini se et sua dederunt et nobiscum resident continue. Est uero Exemplar aliud Matutinalis

2141

CODICES

2142

tinalis seu *Lectonarii B. Mariae* Codice praeced. relati, illi, quoad omnia, conforme, nisi quod Indicem alphabeticum habet, qui partim ante, partim post Opus recentius additus est. Ne prorsus ἀσυμβολος ab hac Compilatione discedam, vide, quo pia simplicitas deducere possit. *Fol. 61.* in *Lect. 3. Ferae IV. post Dom. Palmar.* inducitur Mater Christi mortem Filii plangens, et inter alia exclamans: *Nichil aliud restat, nisi ut me interficiam.* Advertit id quendam Lectorum, qui in margine monet: *Hic dic caute de interfectione marie.* In Textu nihilominus praevie *Augustinus* citatur, quod ego *Librarii* lapsum habeo; nam paullo supra *Augustinum* *Lectioes* sumtae dicuntur *Ex planctu Anselmi*, spurio videlicet illo Dialogo, quem quidem etiam *Gerberonius* in *Adpend. Opp. Anselmi* repraesentavit, immunem tamen ab illa blasphemia.

DCCCXCIII.

R. 1413 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 36. 8. ad imitationem characteris *Aldini*, quem *italicum*, seu *cursum* dicimus, summo nitore exaratus, marginibus omnibus auro, coloribusque auro punctatis ad eum modum jucundissime lemniscatus, qui hodie *Arabesque* audit, Precatorius est, ita inscriptus: ΧΡΙΣΤΕ ΒΟΗΘΗΣΟΝ. *Officium Beatæ Mariae Virginis Secundum Consuetudinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ A Pu-*

rificatione Vsque Ad Adventum. In hac et pluribus aliis Inscriptio- nibus non nisi aureae et miniatae literae alternant. A *fol. 33.* succedunt *Officium S. Crucis* et *S. Spiritus* eodem prorsus cultu. Ad quem porro *Κεϊμηλιον* istud referendum fit, prima *Officii* Litera *D* docet. Occupat ejus aream tiara pontificia et clavibus *S. Petri* superimpositis Insigne *Familiae Mediceae*, circumque illud legas: *Pius III. Pont. Max. Anno II. 1561.* Idem nomen *fol. 1. 8.* et *13.* inter ornamenta marginum comparet. Habemus igitur *Job. Angelum e Medicis Mediolanensibus* ad Papatum evectum exeunte anno *1559.* Synodi *Tridentinae* finitorem et defunctum anno *1565.* An vero *Officium* nostrum in usus proprios scribi fecerit, an cuidam ex augusta Domo nostra donum dederit, nihil adnotatum reperio, nec conjectare aliquatenus possum.

DCCCXCIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2180 XIV. Folior. 218. f. forma paene quadra, caractere atro, luculento splendide exaratus, coloribus et initiorum picturis decoratus exhibet *I. Martyrologium Ursuardi Monachi S. Germani de Pratis* ab eo Sec. IX. dicatum *Carolo Calvo*, cujus optimas Editiones habemus *J. B. Sollerii S. J.* et *Jac. Bullarti O. S. B.* Exordium nobis non a *Vigilia Natalis Domini*, sed a kal. Januariis ducitur, ita: *Cir-*